



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

5 Quænam sit in fine proxima a ratio finaliter causandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

omnino actione agentis propter finem, iam non causa tur à fine, sed causatus est, & manet ordinatus in finē, vel per intrinsecam habitudinem seu propensionem, vel per extrinsecam denominationem seu relationē ab actione præterita.

XVI.

Relinquitur ergo tota difficultas circa actiones imperatas, nam eo modo, quo illæ causatæ fuerint à fine, erūt causalitates eiusdem finis respectu effectuum seu terminorum, nam per illas penderunt huiusmodi effectus à causa finali, & solum ratione illarum dicentur fieri propter talem finem.

XVII.

De ipsis ergo actionibus imperatis dici potest, quāvis physicè & secundum entitatem actio externa sit distincta ab interiori actu voluntatis, tamen in ratione actionis, & in ordine ad causalitatem finis habere rationē vnius, & ab eadem causalitate seu Metaphorica motione oriri, quia finem, v.g. metaphorice mouere ad volendum scribere, & ad descriptionem ipsam, non sunt duo, sed vnus & idem, quia illa duo ita sunt connexa, vt separari non possint, loquor enim de volitione, quæ est per modum vsus, & proxime imperat actionem externam scribendi. Vnde vltius dici potest, causalitatem finalem, quam diximus esse in actu interiori, & cum ipsa actione elicitā identificari, esse simul causalitatem ipsius actus interioris & exterioris, qui cum illo necessariō coniungitur, quamuis diuerso modo, nam respectu interioris se habet proxime & intrinsecè, respectu vero exterioris, magis extrinsecè & remotè. Neque propter hanc rationem dicitur finis causa per accidens externæ actionis, cū omnino necessariō ac per se sequatur ex causalitate eius, & ipse ita moueat voluntatem, vt simul, & per modum vnius moueat ad executionem actionis imperandæ à voluntate. Neque etiam obstat, quod huiusmodi causalitas nihil addat actioni exteriori, nisi denominationem extrinsecam, quia talis actio non dicitur effectus finis solū, quia illa denominatio extrinseca est à fine, sed quia ipsa mer actio prout hic & nunc fit, re vera procedit ex motione finis in suo genere, etiam si posset illa actio exterior physicè & entitatiue sumpta, fieri absq. illa motione Metaphorica, & propria causalitate finis, quia solum mediante actione interna à tali causa procedit. Eò vel maxime, quod hæc causalitas quodammodo est moralis, & quasi artificiosa & intellectus, & ideo non est in omnibus æquiparanda cum causalitate efficiētis, quæ est magis Physica & realis. Atq. ita simul responsum est difficultati tactæ in fine sectionis præcedentis, & in hunc locum remissa.

XVIII.

Vltimò addi potest, ipsam actionem imperatam eo modo, quo hic & nunc à tali agente progreditur, esse & effectum causæ finalis per modum actionis, & causalitatem eius respectu rei factæ propter illum finem per eandem actionem, nam illa mediante pender ille effectus à tali fine, & nihil aliud est esse causalitatem, quam esse quasi viam, qua pender effectus à causa in tali genere causæ. In hac autem dependentia non est considerandus effectus quasi materialiter, vt est talis res: sic enim non semper requireret illam dependentiam per talem causalitatem, vt per se necessariam ad suum esse, sed considerandus est formaliter, quatenus est effectus hic & nunc tali modo factus, quomodo necessariō includit ordinem ad talem actionem, & ad modum agendi talis causæ. Atque ita hæc responsio ferè coincidit cum præcedente, & vtramque melius explicabimus inferius, declarando causalitatem finalem in effectibus Dei.

S E C T I O V.

Quenam sit in fine proxima ratio finaliter causandi

I.



Eensus præsentis questionis ex superiori constat, non enim inquirimus rationem causandi, quatenus dicit causationem in actu secundo, sed quatenus di-

cit actum primum quasi formalem, constituentem causam finalem proximè aptam, & sufficientem ad causandum. Sicut enim in causa efficiēte distinguimus rem, quæ causat, à proxima ratione causandi, ita in finali videtur necessarium, quia eadē omnino res potest esse, & principium efficiens, & causa finalis & formalis, oportet ergo, vt sub diuersis rationib. hæc munera exerceat: ergo illa ratio sub qua e. creet omnis causæ finalis, erit, quæ proxime constituit finalem causam, quali in actu primo.

Resolutio questionis.

DE hacigitur re communis consensus Doctorum omnium esse videtur, bonitatem esse proximam rationem, sub qua finis mouet: atque ita illam esse, quæ constituit finalem causam, dans illi (vt ita dicam) virtutem ad causandum. Ita sentit D. Thomas 1.2. quæst. 1. artic. 1. & latius 3. cont. Gent. c. 2. & 3. Vbi ostendit, idem esse operari propter finem, quod operari propter bonum, & 1. p. q. 5. artic. 4. probat bonum habere rationem finis, & ibidem solutione ad secundum de hac causalitate declarat illud Dionysij, cap. 4. de diuin. nom. Bonum est diffusiuum sui, nimirum, finaliter attrahendo & alliciendo voluntatem. Eandem doctrinam habet Alex. Alenf. 1. p. quæst. 17. memb. 3. & quæst. 34. memb. 1. sumptaque est ex Aristot. 2. Phys. cap. 3. text. 31. vbi dicit finem, & bonum esse idem, quod etiam repetit 5. Metaph. cap. 2. & lib. 1. Ethic. cap. 7. ait, id esse vnicuique bonum, cuius gratia cetera operatur: idem lib. 1. Ethicor. ad Eudemum sub finem Ratio autem est, quia causalitas finis consistit in motione Metaphorica voluntatis, qua illam ad se allicit, nihil autem ad se allicit voluntatem, nisi quatenus bonum est: ergo bonitas est ratio mouendi voluntatem, ergo etiam est ratio, seu principium causandi finaliter. Minorem suppono, vt certam ex communi consensu Theologorum & Philosophorum, dicentium voluntatem non posse ferri in aliquid, nisi sub ratione boni, iuxta illud, Bonum est, quod omnia appetunt.

Malum vt malum possint causa esse finalis.

SED occurrit statim controuersia cum Ocham, & aliis Nominalibus, dicentibus posse voluntatem ferri in malum sub ratione mali. Ita Ocham in 3. qu. 13. dub. 3. Inclinat etiam Scotus in 1. d. 1. qu. 4. circa finem, & in 2. d. 43. qu. 2. Ex quorum assertionem plane sequitur, malum vt malum posse etiam metaphorice mouere voluntatem, & consequenter habere causalitatem finis, nam si malum potest propter se amari, etiam poterunt alia amari propter ipsum, si ad illud obtinendum necessaria, & vtilia sint. Atq. ita fiet, vt non sit bonitas adæquata ratio, & virtus finis ad causandum finaliter, sed erit entitas, vel aliquid huiusmodi, vt Ocham significat.

Veruntamen hæc sententia antiquata est: & ab Scholis merito reiecta, vt pote repugnans cum Aristotelis, Dionysij, Augustini, D. Thomæ, & omnium recte sentientium consensu, vt patet ex Aristot. lib. 1. Ethic. c. 1. Dionysij. c. 4. de diuin. nom. August. 2. Confess. capite 6. & S. Thoma 1.2. qu. 8. artic. 1. & reliquis Theologis in 2. d. 43. Henric. quodlib. 1. quæst. 17. Vide etiam Greg. Niss. lib. de Opificio hominis, cap. 20. & Damasc. lib. 2. de fide, c. 22. Horum enim omnium axioma commune est, Neminem ad malum intendentem operari. Est quid ex experientia euidentissimum. Extractio est, quia esset inordinatissimè inlicita voluntatis facultas, si in totum qua malum est, ferri posset. Quid enim magis inordinatum esse potest, quam velle malum quia malum est? voluntas autem nihil potest appetit elicitio velle, nisi quod sit consentaneum alicui naturali inclinationi ipsius voluntatis, quia ex tali inclinatione nascitur omnis appetitio elicitio.

elicita, saltem naturalis, quia omnis appetitio huiusmodi refertur ad obiectum adæquatum, & proportionatum voluntati, vel aliquam partem eius, naturalis autem inclinatio voluntatis est ad totum illud obiectum: si ergo voluntas posset moveri per proprium actum in malum ut malum, naturalis etiam inclinatio eius esset ad malum ut malum: esset ergo ipsa naturalis inclinatio inordinata. Hoc autem omnino repugnat, tum quia ab optimo auctore sapientissimè instituta, tum etiam, quia esset sibi ipsi repugnans. Nam voluntatis finis seu institutio est, ut per eam homo quærat convenientia sibi, & fugiat disconvenientia, si ergo accepisset inclinationem ad tendendum in disconvenientem, quatenus disconvenientem est, formaliter & directè sibi ipsi, & suo fini repugnaret, & ideo rectè dixit Damasc. lib. 2. cap. 22. *Voluntas fertur ad agendum in illis rebus, quæ naturæ consentaneæ sunt.* Ut Senec. lib. 4. de Beneficijs, cap. 17. dixit: *Nec quisquam tantum à naturali lege descivit, & hominem exiit, ut animi causa malus sit.*

Et confirmatur, nam impossibile est, ut intellectus assensum præbeat falso quatenus falsum est: ergo & quod voluntas prosequatur malum quatenus malum est. Patet consequentia, quia sicut comparatur intellectus ad verum, ita voluntas ad bonum: tanta est ex terminis ipsis repugnantia inter prosecutionem & malum, quanta est inter assensum & falsum. Tum etiam, quia si intellectus non potest iudicare assensum falso: ergo non potest iudicare malum ut malum habere unde ametur, nam id est evidenter, & ex ipsis terminis falsum, & repugnans omni intellectui. Cuius signum apertum est (ut obiter solumus omnia argumenta, quæ contra fieri solent) quia nunquam iudicamus esse amandum, vel prosequendum aliquid, quod aliàs malum esse cognoscimus, nisi, quia iudicamus commodum vel ad delectationem, vel ad vindictam fumendam, vel ad aliam similem utilitatem. Ergo nec voluntas potest ferri in malum, ut tale est, seu quod tantum cognoscitur esse malum. Patet consequentia, quia, ut inferius dicitur, voluntas non potest moveri, nisi medio iudicio rationis, quo sufficienter proponatur aliquid, vel appetendum, vel appetibile.

Atque hinc tandem sumitur ratio, quæ ad rem, de qua agimus, spectat, quia in malo ut sic, quatenus malum est, nihil est quod possit apprehendi aut existimari ut sufficiens ratio, ob quam voluntas moveatur. Nam vel in malo consideratur malitia, vel entitas, quæ malitiæ subest. Malitia per se ac formaliter sumpta nihil habet, quo voluntatem alliciatur, vel attrahatur, quia ipsa nihil est, ut in superioribus diximus. Entitas autem, quæ malitiæ subesse potest, aliquid bonitatis habet: unde si appetitum movet, id est, ratione bonitatis. Et confirmatur, nā in electione medicorum, impossibile est voluntatem eligere aliquid ut medium ad finem, eo quod sit disconvenientem, vel impediat ad consecutionem finis, quod esset eligere malum oppositum bono utili sub ratione mali: ergo in intentione vel amore finis impossibile est, quod feratur in aliquid ut in finem, eo quod per se sit disconvenientem, quod est velle sub ratione mali oppositi bono propter se appetibili. Antecedens videtur per se notum ex terminis: qui enim intelligi potest, ut aliquis ex intentione finis eligat, quod repugnat fini, quatenus tale est? nam esset hæc contradictio in ipsa voluntate. Quin potius docent omnes, qui rectè sentiunt, quando unicuique est mediū utile ad finem, fieri non posse, quin voluntas illud eligat, si vere & efficaciter intendit finem, multo ergo impossibilius est, ut eligat medium inutile quia tale est. Prima vero consequentia probatur, quia tantum repugnat malum, ut in se malum est, intentioni, sicut inutile ut inutile, electioni: nam sicut electio inutilis, ut inutilis repugnat intentioni finis, ita intentio mali, ut per se mali repugnat naturali, & adæquatæ propensioni voluntatis.

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

Indifferens ut sic possit causa esse finalis.

Dices, hæc argumenta satis probare & malum, ut malum non posse finaliter causare, & bonum ut bonum posse, non tamen probare solum bonum posse habere huiusmodi causalitatem, aut bonitatem esse adæquatam rationem finalisandi. Quia inter bonum & malum potest dari indifferens, vel re ipsa, vel saltem præcognitione mentis, quatenus ratio entis aut veri, præcisa ratione boni considerari potest: ergo hæc potest esse ratio sufficiens ad movendum appetitum, & consequenter ad finaliter causandum. Respondeo, in re dari quidem posse ens indifferens secundum aliquam rationem boni, non tamen secundum omnem, quia non potest ens non esse bonum, atque ita quando ens sub aliqua ratione indifferens voluntatem movet, non movet illam quatenus indifferens est, sed quatenus aliquam rationem boni habet. Quod si contingat aliquod ens sub omni ratione boni esse indifferens respectu appetentis, id est, ut nec sit honestum, nec turpe, nec iucundum, nec molestum, neque naturæ conveniens, neque disconveniens (quod fortasse non potest inveniri) tamen illo posito, tale ens non posset habere causalitatem finalem in voluntate, quia nullam convenientiam, aut cōformitatem haberet cum illa, voluntas autem cum sit essentialiter appetitus, non inclinatur nisi inconveniens ut tale est: unde cum ratio entis de se sit indifferens ad rationem convenientis & disconvenientis appetenti, non est de se sufficiens ad movendum appetitum. Quod si interdum videatur ens aliquid movere voluntatem solum, quia non existimatur disconveniens, ideo est, quia in omni ente apprehenditur inesse aliquid bonitatis, & perfectionis, quæ si aliunde non habet disconvenientiam, hoc ipso ratione suæ perfectionis existimatur conveniens.

Imò, quia id, quod est in se bonum, potest esse vel conveniens, vel disconveniens homini, ideo non quæcunq; bonitas, sed secundum aliquam convenientiam ad appetentem est sufficiens ratio finalisandi. Propter quod dixit Arist. 3. Ethic. c. 5. *Amabile quidem bonum, unusquisque autem proprium.* Quod quomodo intelligendum sit, longam & Theologam postulat disputationem, tum propter amorem amicitiae, tum maxime propter amorem Dei super omnia. Nunc brevitè tantum notetur, bonum proprium non debere intelligi solum illud, quod cedit in proprium commodum, sed simpliciter quod per se decet, aut est cōsentaneum naturæ appetentis. Quo sensu comprehenditur omnis finis, etiam ad perfectissimum amorem amicitiae pertineat.

Rursus dicit aliquis, voluntas non semper movetur à fine ad obtinendum aliquid, sed sæpe etiam ad vitandum aliquid, sed ad hoc movetur à fine ratione malitiæ: ergo non solum bonum, sed etiam malum ut malum potest habere aliquam causalitatem finalem in voluntate. Respondetur, quando mobile recedit ab uno termino, ut ad alium accedat, terminum à quo non esse finem illius motus, neque excitare mobile (loquimur Metaphoricè) ut à se recedat, sed finis est terminus ipse, ad quem mobile fertur, & si finaliter excitari posset, ab illo tantum traheretur, & consequenter ratione illius ab alio termino recederet. Sic ergo voluntas propriè à bono tantum movetur ut à fine, à quo trahitur, ut ad se accedat per amorem, intentionem, &c. inde vero sequitur recessus à malo, quæ non tam est motio in finem, quam quid consequens ad tendentiam in finem, & quasi quoddam medium ad obtinendum finem. Unde ad illummet actum, qui est odium mali, non movetur malum, nisi in virtute boni, quia non habetur odio malum, nisi ratione boni amati, & ita etiam in illo actu

VII.

VIII.

IX.

actu dici potest bonitas ratio mouens ad odio prosequendum malum oppositum. Nam odisse malum sub ratione mali, nihil aliud est, quam odisse illud, quia priuat bono, & ita bonitas est illic ratio principaliter mouens, sicut in sim li dicemus paulo inferius de electione mediorum.

X. Tandem dicit aliquis: Interdum minor bonitas plus mouet voluntatem, ut amet, quam maior malitia ut recedat, & e conuerso minor malitia interdum plus mouet ad fugam, quam magna bonitas ad prosequendum finem: ergo eadem ratione fieri potest, ut voluntas recedat à bono quatenus bonum est, seu etiam si non sit malum, & e conuerso, ut feratur in malum, etiam si non sit bonum, quia, ut Dialectici aiunt, sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & e conuerso. Respondetur, sicut solum bonum potest mouere voluntatem, ita etiam solum maius bonum, quantum est de se magis mouere, dummodo sufficienter propositum sit. Quod autem voluntas interdum non sic moueatur, prouenit ex libertate ipsius voluntatis. Hæc vero non sufficit, ut feratur in malum sub ratione mali, tum quia libertas non potest exerceri extra obiectum voluntatis, tum etiam, quia hoc ipso, quod voluntas feratur in malum ad experiendam suam libertatem, iam non fertur sub ratione mali, sed sub aliqua ratione utilis. Quamquam hoc experimentum libertatis semper supponit in obiecto sufficientem rationem boni vel mali, quæ ex parte illius fundare possit huiusmodi usum libertatis. Ad hunc autem usum, si sit tantum quoad exercitium, sufficit, ut vel bonitas obiecti, vel actus ipse, seu dilectio eius non existimetur necessaria, ut in superioribus traditum est, cum de liberis causis ageremus.

XI. Vnde licet bonum quantum est ex se, efficacius sit in suo genere ad finaliter causandum, quia tamen actu causare non potest, nisi voluntas ipsa se moueri sinat, seu cooperetur in suo genere motioni eius, quod pro sua libertate potest non facere, ideo ex hoc capite accidere potest, ut minus bonum actu causet finaliter, prætermisso maiori bono. Quod tamen facere non possit, si nullam haberet bonitatem, quia iam tunc omnino deesset ratio causandi, sine qua non sufficit libertas voluntatis, ut moueatur, quamuis ut non moueatur, sufficiat (ut dixi) carentia vel negatio boni necessarij, etiam si malum non sit. Secus vero erit, si usus libertatis non tantum sit quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem per actum contrarium odij, aut similem, nam tunc necesse est, ut aliqua ratio mali in obiecto appareat, nam odium proprie sumptum, solum circa rationem mali versari potest.

XII. Dico secundò: Non tantum verum bonum, quod in re sit aut esse possit, sed etiam bonum apparens, seu tantum existimatum, potest esse sufficiens ut finalem suam causalitatem exercent. Ita docet D. Tho. 1.2. q. 8. artic. 1. Constatque satis experientia, nam sæpe mouetur homo ad inquirendum aliqua, quæ apparent bona, ut delectabilia, quæ re vera talia non sunt. Quod etiam in electione mediorum est manifestum, eligimus enim sæpe, quod existimamus esse utile ad finem, quod postea experimur esse inutile, vel etiam impediens. Ratio autem est, quia causa finalis non causat nisi cognita, ut infra dicemus: quantum autem spectat ad cognitionem, perinde se habet res, quæ existimatur bona, ac si in re ipsa bona esset, quia idem iudicium de illa fertur, & æquè verum existimatur, ac denique eodem modo representatur seu proponitur voluntati.

XIII. Illud tamen videri solet difficile in hac conclusione, cum causalitas finalis vera, & realis sit, quomodo ratio tantum conficta aut existimata possit ad hanc causalitatem sufficere. Nam realis causalitas non potest oriri, nisi à principio reali, illa autem bonitas tantum apparens nihil reale est, sed fictum potius: ergo nec potest realiter causare. Imò talis bonitas, cum non

fit in rebus, sed in ratione tantum, non videtur posse sufficiens ad mouendam metaphoricè voluntatem, nam voluntas non fertur, nisi in res ipsas quatenus bonæ sunt.

Respondetur primò, hanc causalitatem finalem ita esse realem, ut fiat morali quodam, & intellectuallimodo, per naturalem sympathiam, quæ est inter voluntatem & intellectum, & ideo ad illam non requiri aliud esse reale in causa, nisi illud, quod sufficit ad motionem inter has potètiās per naturalem consensionem earum, & quia ad hoc sufficit esse reale, ut representatum in intellectu, etiam si in re verum non sit, ideo etiam ad causalitatem finalem sufficere potest apparens bonitas licet vera non sit. Et hoc ferè est, quod D. Tho. citato loco ait, appetitum elicitum sequi formam apprehensam, & ideo ad eius motionem sufficere bonitatem apprehensam, seu existimatam, etiam si vera non sit.

Addi vero ulterius potest, aliud esse loqui de bonitate, aliud de re bona, nam voluntatem interdum mouet res, quæ verè bona non est: quo sensu procedit conclusio posita, scilicet interdum bonum tantum apparens finaliter causat. Nihilominus tamen dici potest, voluntatem nunquam moueri, nisi à vera bonitate, nunquam enim mouetur, nisi vel à delectatione, vel ab honestate, vel à commodo naturæ, quæ omnes veræ bonitates sunt (omitto appetitum boni in communi, in quo non est deceptio.) Vnde in propria ratione formalis, quæ mouet, nunquā etiam est deceptio, sed hæc interuenit in applicatione huius rationis formalis ad hanc vel illam rem, & hac ratione mouet quidem res, quæ apparet bona, ratio autem mouens non est apparens, sed vera bonitas, quāvis tali rei falsè attribuatur. Ut v. g. si quis amat furtum, ut ex illo elemosinam faciat, mouetur quidem à bono existimato, tamen à vera bonitate & honestate, scilicet ab honestate misericordiæ, quam in tali actu esse existimat. Et idem est cum homo querit aliquod obiectum, quod putat esse delectabile, in re tamen delectabile non est, nam ille veram querit delectationem, & ab ea tantum mouetur, errat tamen illam applicando rei, in qua verè non est. In hoc ergo sensu dici potest, rationem causandi finaliter semper esse veram aliamquam bonitatem, quamuis non semper sit verum aliquod bonum, quia non semper apprehenditur talis bonitas, aut iudicatur de re, in qua vere existat.

Dico tertio: Solum illud bonum, quod in se semper se bonum est, est sufficiens ad causalitatem finalem exercendam. Declaratur, nam bonum, ut supra tractauimus, tantum est aut honestum, aut delectabile, aut vile, ex quibus duo priora sunt in se ac per se bona, tertium vero solum per habitudinem ad illa, quæ omnia ibidem explicata sunt. Igitur duo priora bona sufficient ad causalitatem finalem exercendam, quod facile probari potest. Nam causalitas finis in duobus consistit, vel in alterutro eorum, scilicet, quod voluntatem moueat ut finem propter se, & alia propter ipsum diligat, aut exequatur, utrumque autem horum præstat & potest utrumque ex illis bonis. Nam bonum honestum propter se est maxime expetibile tanquam per se decet, vel per se se naturæ conueniens, imò hæc est ipsa ratio boni honesti, ut dicto loco notauimus cum D. Thom. 1. p. quæst. 5. art. 6. De bono autem delectabili ait idem D. Tho. 1. 2. q. 2. art. 6 ad 1. ex Aristot. 10. Eth. c. cap. 2. *Stultum esse querere propter quid appetatur, nam ipsa delectatio per se habet vnde appetibilis sit*: Hæc ergo duo bona sufficientia sunt ad causandum primam motionem in finem propter se ipsum.

Ex hac autem motione nascitur altera, quæ est ad media propter finem: nam illud idem bonum, quod propter se amatur, mouet ad amandum alia propter ipsum, si necessaria, vel utilia sint ad bonum propter se amatum obtinendum. Utrumque ergo ex his bonis per se

per se sufficiens est ratione suæ bonitatis ad causalitatem finalem exercendam, quoad vtramque eius partem. In quo munere sese habent mutuo sicut excedens & excessum, nam bonum delectabile, & quoad nos plus mouere solet, & ad se trahere appetitum, & delectatio quodammodo est vltima perfectio operationis propter se amabilis: at vero bonum honestum, quo maius est, & per se nobilius, eo de se & natura sua potentius est ad hanc causalitatem exercendam, & nobiliores etiam effectus potest in hoc genere causare. Quin potius, si naturæ institutionem spectemus, solum honestum bonum habere debet propriam rationem finis, nam delectatio ex intentione naturæ non est propter se, sed propter operationem cui adiungitur, & ideo propter illam amari debet, de quo alias latius.

De bono autem vtili, cum non sit per se bonum, satis manifestum apparet, non esse sufficiens ad causalitatem finalem exercendam, quia bonum vtile ut sit non est per se amabile: ergo non est sufficiens ad primam motionem finis exercendam. Rursus quatenus vtile est, non est id, propter quod aliud amatur, nam potius ipsum amatur propter aliud, ergo neque secundam motionem, seu causalitatem finis exercere potest. Quin potius sub ea ratione est effectus finis, quia est id, quod alterius gratia fit, vel amatur: ergo bonum vtile ut sit non potest causalitatem finalem exercere. Sola ergo bonitas honesta, siue moralis siue naturalis, & bonitas delectabilis, potest esse propria ratio cauſandi finaliter. Hic vero occurrebat ita difficultas de medijs, an possint causalitatem finalem exercere, quam melius tractabimus sectione sequenti.

SECTIO VI.

Quæres possint causalitatem finalem exercere.

Difficultas huius questionis ex duplici capite oriri potest. Primum est de medijs, an illa possint exercere causalitatem finis, videtur enim ex ipsis terminis manifestum, non posse media habere causalitatem finis, nam sola res, quæ est finis, potest exercere causalitatem finis, sed medium est res distincta à fine: ergo non potest exercere qualitatem finis. In contrarium vero est, quia mediū ut medium allicet voluntatem, ut ipsum amet: ergo in hoc exercet causalitatem finis. Et maxime, quia etiam ad vnam medium potest aliud ordinari, tunc ergo illud medium, quod est prius ordine intentionis, exercet causalitatem finis circa aliud, quod ad ipsum ordinatur.

Secunda difficultas est de priuationibus aut negationibus, an sub hac propria ratione possint exercere causalitatem finis, id est, absque errore iudicata, & existimata, quod priuationes vel negationes sint, & non vera entia. Et idem queri potest de relationibus, præsertim rationis. Et ratio difficultatis est, quia hæc sicut non habent veram entitatem, ita nec bonitatem, & præsertim per se amabilem: ergo non habent vim & rationem proximam ad cauſandum finaliter. In contrarium vero est, quia sæpè per se intendimus huiusmodi priuationes, & earum gratia media eligimus, ut alicuius mortem, vel aliquid simile. Similiter intendimus aliquando relationes rationis, ut humanas dignitates, aut æstimationes apud alios, quæ in sola relatione rationis consistunt.

Possintne media causalitatem finis exercere.

Circa priorem difficultatem sunt varij dicendi modi. Primus est media etiam ut media, posse exercere causalitatem finis: in quo hæc sententia contra Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

dicunt apertè vltimæ parti tertiæ assertionis propositæ in præcedenti sectione. Tenet vero illam Gabriel in 1. dist. 38. artic. 1. vbi ex sententia Gregorij ibi artic. 1. distinguit, finem alium esse propriissimum, aliū proprium, alium communem seu communissimum, & hoc vltimo modo dicit media habere rationem finis, eiusque causalitatem exercere. Vnde etiam illud medium, quod est vltimum in intentione, & primum in executione, propter quod nullum aliud eligitur, ait participare causalitatem finis. Fundamentum esse videtur, quia omne obiectum voluntatis habet rationem & causalitatem finis, sed mediū ut medium, seu quod non est nisi medium, est obiectum voluntatis: ergo participat causalitatem finis. Minor cōstat, quia voluntas vere ac proprie versatur circa finem amando ipsum, illud autem est proprium obiectum potentie circa quod ipsa versatur. Maior autem sumitur ex D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. vbi ait finem esse obiectum voluntatis: loquitur autem de obiecto adæquato, tum quia dicit, ita se habere finem ad voluntatem, sicut color ad visum, color autem est obiectum adæquatum visus. Tum etiam, quia inde inferunt voluntatem amare omnia sub ratione finis, quia amat omnia sub ratione sui obiecti: quæ consecutio bona non esset nisi finis esset obiectum adæquatum. Fauet etiam Aristot. 2. Phys. c. 3. dicens, *finem & bonum idem esse*: bonum autem est obiectum adæquatum voluntatis: ergo & finis.

Secundus modus dicendi est, rem, quæ est mediū, etiam si propter se non ametur, neque amabilis sit, posse exercere causalitatem finis, non tamen quatenus medium est, sed quatenus propter illā aliud medium appeti potest. Itaque illud medium, quod non est primum in executione, sed intercedit inter finem & primum medium, dicitur participare causalitatem finis, non quatenus amatur propter ipsum, quia sub ea ratione est id cuius gratia, & consequenter habet rationem finis proximi, & non medijs. Illud vero, quod est primum medium, propter quod nullum aliud amatur, non participat causalitatem finis. Hanc sententiam tenet Aegid. in 2. d. 38. quæst. 2. art. 2. Gabr. in 2. d. 1. quæst. 5. art. 1. & Ocham in 2. quæst. 3. & videtur fauere D. Thomas 3. cont. gent. capite 2. vbi in ratione quarta dicit, *Omnia intermedia inter agens & vltimum finem, sunt fines respectu priorum, & principia actiua respectu sequentium*, & in 2. Phys. lect. 5. ait, de ratione finis non esse, quod sit vltimum simpliciter, sed solum respectu præcedentis. Idem sentit 1. Ethic. cap. 7. vbi Aristoteles multum fauet huic sententiæ, dicit enim, non omnes fines esse perfectos, & propter se expetibiles, & in 5. Metaphysic. & 2. Physic. inter fines numerat instrumenta artis, & diuitias, quia per alia media sunt vel acquiruntur, quamuis ipsa etiam sint media ad vltiores fines. Ratio vero est iam tacta, quia in illis est sufficiens ratio ad mouendam voluntatem, ut aliquid velit propter ipsa: & hoc satis est ad exercendum aliquid munus causæ finalis, etiam si non exerceant omnia.

Statuitur principium ad resolutionem questionis necessarium.

Nihilominus dicendum censeo, nullam rem posse proprie, & (ut ita dicam) per intrinsecam denominationem exercere causalitatem finis, nisi quæ per se bona sit, & expetibilis. Cur addam illas particulas, *proprie & per intrinsecam denominationem*, infra declarabo. Sumo igitur hanc assertionem ex Aristot. 2. Metaphysic. 2. vbi dicit, de ratione finis esse, ut alia appetantur propter ipsum, ipsum vero non propter alia: vbi per hanc posteriorem negationem circumloquitur illam rationem, quam nos positius explicamus dicendo, finem debere esse per se expetibilem per propriam bonitatem, quam in se habeat. Nam non est de ratione finis, generatim loquendo, ut propter aliud